

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 44. (*Neovidensis* 1808. Nro. 43.)

*Secretum litterarum Commercio inter Vivos
et vita functos*

Tribonianus ad quemdam Professore[m] Juris-
prudentiæ.

Elysium-Meum.-Die Veneris 10. Juny. 1808. (Neov. 24 May. 1808.)

Magna cum animi voluptate intellexi ex Manibus ad stygias has oras adpellentibus, in multis Germaniæ Universitatibus Codicem Napoleonis de præsentis explicari, atque doceri. Ceu Jus subsidiarium sane beneficium est fœderatis Statibus, in quibus fortassis vaga, indefinita & controversa Jura viguerunt, & Consuetudines obtinuerunt, verum majore adhuc cum voluptate intelligo, hunc legum Codicem optima systematis sui principia ex inexhaustis Juris Romani fontibus mutuasse.

Profecto quedam ambitione feror, & superbio in Codice, in quo compilando ego operam navabam. Fuit is inexhaustibilis scaturigo, ex qua ad hoc tempus omnes Europæ nationes Jura sua depromsere. Quævis definitiones actionum in Commercio quotidiano, & civilibus rerum adjunctis ex eo promanarunt. In nullo legum Codice plus æquitatis, in nullo plus Philosophiæ Juris, deprehenditur, in nullo plures Casus controversi decisi habentur.

Vitio vertitur nobis compilatoribus & Collectoribus absque ordine leges a nobis collectas & digestas; fateor hunc defectum, verum si immensum & laboriosum opus animo expendatur, tum grato animo thesaurum admirabimur, a nobis congestum, ut posteris æquiformem Juris ordinem tenere, & pro sua quisque necessitate depromere valeat.

Singulari voluptati mihi cedit adnotatio in probata tantopere Helvetica Historia orbis, & in ea pagina, quæ profecto quibusvis publicis scriptis eminent; Prærogativa singulari, ait ea, veteres Eruditi & linguæ gaudent, quod grammaticæ earum structura jam irrevocabiliter definita; neque ullis mutationibus obnoxia sit; in his linguis studia litterarum tractabantur, inde ab earum restauratione; veteres magistri gustus boni & liberalium artium excipiebantur, quivis eos in vigente suo idiomate imitatur, studetque & admiratur eos non aliter, quam pictores, sculptores, Architectique, qui reliquas liberalium artium secundum opera græcorum ab Ottomanis sæpe mutilata in Italia imitantur.

Quamdiu solum Genius boni gustus & legalis Philosophiæ humanæ mentis operationes dirigit, tamdiu etiam Leges Romanæ argumento studii in Digestis esse debebunt, modo notiones populi in orbe maxime notabilis pretio usuque suo noscantur; qui ante mille annos armis moderatus, eumque continuo per relictarum legum spiritum etiam postquam is ex theatro orbis evanuit, dominari perrexit.

Novæ & hodiedum vigentes linguæ in Europa nostra quamvis excelsum Culturæ gradum attingere, in plurimis nihilominus Casibus indefinitæ Grammaticæ obnoxix manent; in quavis fere lingua proprie usus est vocis: Monarchæ & regis, qui ipse ab genio dominantis & imperiosæ mulierculæ, vigenti more regitur — quod ante triginta annos placuit, hodie displicet, quod ante seculum stupori fuit, hodie inter quisquilias censetur, & non intelligitur amplius.

Quæ animadversio necessario ad eam nos deducere debet conclusionem: apud gentem, cujus leges in vigente ejus lingua concinnatæ, post seculorum decursum aut declarandas, aut formæ temporis adcommodandas esse; ad definitis firmitatem, & novam vim indendam.

Prærogativa Juris Romani: quod in lingua concinnatum sit, quæ nulli mutationi periodicæ, nulli novæ determinationi amplius subjacet, meditatioque: Codicem Romanum fontem omnium positivarum & Civilium legislationum esse, qui nullo unquam tempore exhauriri potest; hæc inquam prærogativa Themidis alumno animos indere debet, ad fontem hunc gnaviter intelligendum & ad usum deducendum.

In Germania certe non fuit completior, atque quasvis civiles relationes ambitu suo magis complectens legum Codex, Borussico, nihilominus Jus Romanum in omnibus Borussicis Academiis cum omnibus suis partibus doceri debuit. In ipsa Gallia principia, & senten-

tiae Juris Justinianæi publicis super Codice Napoleonis prælectionibus intexuntur.

Ex omnibus his votum in animo cujusvis Juris Consulti elicitur: ut omnes Codices legum in Linguam latinam traducantur, ut genuinus Sensus legum posteris asservetur, atque per mutabilitatem linguæ vivæ ambiguus non evadat. — Et hoc erat propositi mei adnotare.

Ex Novis politicis sequentia paginæ gallicæ in Elysium attulere:

Parisius de 19. Maji. Monitor hodie sub rubrica *Bajonna de 14. Maji* sequens Diploma promulgat: *Don Ferdinandus* Princeps Asturiæ & Infantes Hispaniarum: *D. Carolus, D. Antonius* permoti constante fidelitate, & propensione ab cunctis Hispanis sibi exhibita, maximo cum animi dolore periculo se implicari vident, perturbationem & infortunium immensum experiendi, quod ex eo oriretur, cumque eos non lateat, hoc esse partim consequarium ignorantiae Hispanorum, tam intuitu notivorum, quæ agendi rationem suarum Regiarum Serenitatum moderabantur, quam consiliorum pro Salute patriæ suæ jam initorum, idcirco non possunt denegare sibi per salutaria præcepta, quibus ii indigent, ad effectum eorum consiliorum non impediendum, ut ab erroribus suis eos avocent, præjudicia extiment, hacque ratione una efficacissimum propensionis, qua in eos feruntur, edant argumentum. Quamobrem non possunt non iis declarare: adjuncta, sub quibus Princeps post abdicationem Regis patris sui regni habenas sus-

cepit, occupationem plurium Regni provinci-
 arum & omnium arcium limitaneorum
 per amplum gallicarum copiarum numerum,
 præsentiam 60,000 armatorum ex eadem na-
 tione in metropole, & vicinia, denique multa
data, quæ alii nemini nota esse poterant, per hæc
 omnia convictos esse: se circumdatos scopu-
 lis, libertatem solum habuisse ex pluribus ef-
 fugiis, eam, quæ minime mala consecutaria ha-
 beret, viam eligendi, seque ut talem, iter Ba-
 jonam prætulisse. Advenientibus suis Regiis
 Serenitatibus Bajonnam intellexit Princeps, qui
 eotum Rex erat, præter expectationem, Regem
 patrem suum solii abdicationi intercedere, con-
 tendereque eam hædquaquam ultroneam fuis-
 se. Cum verò princeps Coronam ea solum
 mente suscepit: abdicationem spontaneam
 fuisse, idcirco vix reclamationem locum ha-
 buisse intellexit, cum filialis veneratio eum
 moveret, ad solium restituendum, & paullo-
 post Rex pater suus, suo & totius Dynastiæ no-
 mine, in favorem Imperatoris Galliarum Juri in
 Coronam renunciavit, ut Imperator, salutem
 nationis præ oculis habendo, personam & Dy-
 nastiam definiat, deinceps solio huic præfutu-
 ram. In his rerum adjunctis suæ Serenitates,
 situm expendent, in quo constituuntur, atque
 Criticæ Circumstantias considerantes, in qui-
 bus Hispania versatur, persvasæ: quasvis vi-
 rium adstrictiones, quas Hispani ad Jura vindi-
 canda sua susciperent, non inanes modo, sed
 plane exitiosas esse, solumque eo servituras: ut
 sanguinis rivi fluant, atque Jactura maximæ

partis provinciarum suarum, & Coloniarum omnium trans mare consequatur; porro convictæ: efficacissimum medium mala & adversitates has declinandi futurum: si Sux Serenitates *in solidum* Juribus & prætensionibus in Coronam, prout id jam a Rege patre suo factum, renunciaverint, denique perpendentes: Imperatoriam Majestatem, eo præstito, semet obligare, plenam Independentiam, & integritatem hispanicæ Monarchæ, prout & quarumvis ejus trans mare Coloniarum conservandam, quin ullam vel minimam partem suorum Domiorum sibi reservare velit, aut avellere; perinde memoratam Majestatem semet obligare, se unitatem Catholicæ Religionis, proprietatem Bonorum, Consuetudinesque mantenturam, & innegabili ratione potentiam & felicitatem hispanicæ nationis promoturam. — Omnibus his apud animum expensis, existimant Sux Serenitates Regiæ summum liberalitatis suæ, & amoris in caram sibi hispanam gentem ferventisque suæ propensionis argumentum edere posse, quæ ei obstringuntur, si cum omnibus necessariis suis, sua & personalia Jura pro salute nationis immolent, & hoc solenni Diplomate abdicationi solii accedant, prout speciali jam Conventioni accesserunt. Quapropter Hispanos obligationibus, quibus ad hoc tempus tenebantur, exolvunt, adhortanturque: ut commune patriæ emolumentum præ oculis habeant, proin quietos se præbeant, felicitatem quæ & salutem a sapientibus & arbitrio Imp. Napoleonis expectent. Hac sua promittuntur

in
ac
suo
mun
diss
cissi
tum
mole
scen
Æum
Subsc

nem
Sena
Hetr
tur.
nator
divisu
in hac
Gener
nis lib
& Au
cretari

B
giam n
nicæ E
„ Adpu
e Norv
m. qua
& Svec
pis Chr
de præ
currunt

in parendo his dispositionibus. Hispanos æque ac se securos certosque posse esse, Principi suo & utrique Infanti Hispaniarum amplissimum sincerarum affectionum argumentum dedisse, quemadmodum Suxæ Serenitates iis vicissim maximum paterni sui amoris monumentum edunt, Juribus suis cedendo, & proprii emolumenti sui in gratiam eorum salutis obliviscendo, quæ unicum votorum suorum objectum est. Burdigalæ die 12. Maji 1808.

Subscr. Ego Princeps. Carolus. Antonius.

Crastino, fert rumor, Senatus præter ordinem Convantum celebraturus, quo projectum SenatusConsulti intuitu Unionis Regni olim Hetruriæ cum Imperio Galliarum ei substernatur. Porro Gen. Dux *Menotti* Generalis Gubernator provinciæ, in quam hoc olim Regnum divisum, renunciatus dicitur, additur quoque in hac Ditione Comitia (Juntam) sub præsidio Generalis Gubernatoris celebranda quæ ex quinque libellorum Magistris (Maitres de Requetes) & Auditore Consilii Status, qua Generali Secretario constituta sunt.

Bellum Boreale.

Bellum in confinio Sveciæ versus Norvegiam nullum dirimentem eventum habuit. Daniæ Ephemerides de 14. Maji memorant: — „Adpulit ad nos (Hafniam) Cursor publicus e Norvegia cum litteris Christiania de 25. p. m. quæ nuncium validi proelii inter nostras, & Svecicas copias & Intercessionem Principis Christiani nequaquam confirmant. Angli de præsentis in ipso minore Balhico freto discurrunt.

In Norvegia nuper admodum 7 prædæ obtentæ, quarum 4 sale, una Sacharo, & faba Indica, duæ vino onustæ. Contra adprehensa die 3 Martii per Anglicanam prædatoriam *Famam*, Danica navis *Africanus* cum mercibus ea contentis, pertinet ad D. G. S. *Dede Altonensem* mercatorem, merces, queis onusta sunt: Ebur, Cera, Gummi arabicum, auri arena, secundum hodiernam pretiorum in Continente æstimationem ad 400,000 Marcas in Bancalibus æstimatur.

Ex inf. parte Albis die 19. Maji. Medio extraordinariæ occasionis Petropoli de 6. Maji nunciatum est: arcem *Sveaburgum* cum ejus Classicula vigore Conventionis inter Gen. Ducem *Suchtelen* & V. Admiralem *Cronstedt*. initæ die 3. Maji Russis traditam & ab iis occupatam.

B I O G R A P H I A.

Tribonianus natus Sidæ in Pamphilia, Justiniano ob præclaras ingenii dotes æstimatus, primisque reipublicæ subselliis admotus, ab eo mandatum accepit leges compilandi, ex qua collectione Codex Justinianæus coaluit, hic liber Juris administris magnus thesaurus est, sed ipsi Jurisperiti ordinis & defectus legum vitia ei exprobrant, avaritiæ quoque vitio perstringitur. Fuit Christianus, Codicique colligendo Anno 529 manum admovit.
